



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

Appendix De Avreato, Pro Libro Primo Observationvm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

APPENDIX DE  
AVREATO, PRO  
LIBRO PRIMO OBSER-  
VATIONVM.

CAPVT PRIMVM.

Denomine, & cui competat.

**N**OMEN est ab *Auro*. Vnde Auentinus lib. 2. Annalium Germanicorum, vertit, *Goldberg/Goldstatt*. Satis verum videri; existant enim *Aureatenses* seu *Aureacenses* Episcopi apud Adelbertum, secundum Abbatem Heidenheimensem, & apud Anonymum Hafencietanum, scriptores rerum Eystettensium admodum antiquos, quorum testimonia & monumenta iam alibi produximus. At longè vetustius habendum, imò ab Ethoicis temporibus deducendum est, si Auentinus hanc lapidis antiqui inscriptionem rectè interpretatur.

DEO MERCVRIO CL. ROMANVS

DVPL. ALÆ AVR. V. S. L. L. M.

hoc est, Auentino Interprete. Deo *Mercurio Claudio Romano* duple a *Aureati* vini sibi legit locum monumenti.

Exstabat olim hic lapis cum aliis duobus, de quibus postea; in Arce Nassenfelsen, nunc vna cum aliis Eystadium translatus est; teste Auentino.

Gruterus in Appendice fol. 1085. N. 8. aliam inscriptionem refert his verbis:

10 Hinc Græcissantibus nata Chrysopolis. sed quia  
deriuatio Auratum ab auro. à quo  
verbo formatur aurum, auratum. An potius  
deriuatio Auratum, ut Auratum, vel  
Auratum et Lauratum, vel Auratum  
ab aurum, sicut Lauratum à laurum, vel  
Auratum à aurum, quæ admodum uerum Auratum, vel  
Auratum uerum est à laurum, vel  
à laurum, sicut uerum est à laurum.



In columna rupta inter Aureatum &

\* Walkershausen Bauaria

[\* Wolkerzhofen pagus est Episcopi Eystettensis proximus Nassenfelsio, & ad eiusdem parochiam spectans.]

..... S. L. SEPT. SEVERO  
 ..... ARABICO. ADIAB  
 ..... TRIB. POT. XIX. M. ....  
 ..... ET IMP. CÆS. M. A. ....  
 ..... NINO. PIO. INVIC. ....  
 ..... PRINCIPI. TRIBVNIC  
 ..... T. XIII. IMP. III. COS. III.  
 ..... ORD. AVR. FELIC. PRIN  
 ..... IN. INDVL. .... ISSIMIS

Vbi vides literas AVR. quas Auentinus proculdubio de *Aureato* acciperet, quandoquidem hæc inscriptio prope Nassenfelsium, quod ipse pro *Aureato* habet, reperta est. Visitur quoque Nassenfelsij in exteriori parte muri, quo cœmeterium ambitur, vetus inscriptio, in qua hæc etiam literæ leguntur AVR. quas Auentinus si vidisset, haud grauatè de *Aureato* interpretatus fuisset.

Ad alterum quod attinet, quidam *Aureati* appellationem tribuunt Ingolstadio, moti ipso vocabulo Germanico, quasi Ingolstadium sit in *Goldstatt*. Hinc Græcisantibus nonnullis *Chryso polis*, Latinogrecè *Auripolis* nominatur. Alij Eystadium hoc nomine honorant Hinc passim Episcopi *Aureatenses*; imo & *Chryso politani* à *Chryso poli*, hoc est, *Aureato* seu *Aureata* ciuitate. Auentinus, cui assentior, *Aureatum* pro Nassenfelsio habet (est autem Nassenfelsium, oppidum tribus horis Ingolstadio distans, sub ditione Episcopi Eystettensis) probant id antiquæ inscriptiones Nassenfelsij

AA 2 reper-



reperit, quas antea attulimus: nam Ingolstadium ab Anglis, quasi *Engelstadium*, nomen accepisse, mihi sic probabile, ut sentit quoq; Cambdenus in sua Britannia, & sunt alia eiusdem nomenclaturæ loca, ut *Ingelheim*, seu *Engelheim*, patria Caroli Magni, *Engelburg*, *Engelreute*, & in Italia, *Angleria*, nam Angli Germani erant, gens quippe Saxonica, & sæpe ex suis sedibus in interiores Germaniæ partes, quin & in Italiam, cum aliis populis penetrabant, sedesq; condebant & figebant, & nomine nationis insigniebant. Quocirca non malè illi, qui *Ingolstadium*; *Anglopolim* siue *Anglipolim* vocant: & est etiamnum Ingolstadij villa, *der Engelhoff* / quam vulgò vrbis incunabula fuisse censent, nam ineptè ab *Angelis*, quasi *Angelorum urbem*: deduxeris; quamvis non defuere, quibus hæc originatio arriserit, quia nihil tam absolum fingitur, quod approbatorem & laudatorem non inueniat.

Si quis tamen ab illis Anglis Ingolstadium nomen adeptum putat, qui pietatis & fidei Christianæ propagandæ causa, ex Anglia Britannica in Germaniam magno numero ventitare solebant; cum hoc non pugnabo. Verisimile enim est hic aliquè huius generis confedisse, & modico initio præclare vrbis fundamenta iecisse; suadet id vicinitas Eystadij, quod totum ab Anglis est; Item S. Bonifacij, S. Willibaldi, & S. Wunibaldi per Boicam doctrinæ Euangelicæ prædicatio, pro quorum discipulis hoc loco mansiunculam aliquam conditam fuisse, à vero non abludit: quamvis fortè Ingolstadium Principibus & Regibus Francicis Carolo Martello, Carolomanno, & Pipino antiquius est, quia eius non ut rei nouæ meminit in suo *Testamento* Carolus Magnus, nam Ludouico filio suo natu  
maxi-



maximo Boiariam attribuit, sicut *Thasilo* tenuit, exceptis duabus villis, quarum nomina sunt, *Ingoldestat.*, & *Lutrahahoff*, quas nos quondam *Tassiloni* beneficiauimus, & pertinent ad pagum, (hoc est, ad ditionem, territorium) qui dicitur *Nortgouur*. Vbi vides *Ingolstadium* in *Nortgeia*, siue *Norico* poni, quia ex ea parte situm est, vbi *Noricum* est, tamen si hodie vsque ad *Danubium* *Nortgavia* terminos suos non extendat, & *Ingolstadium* non *Nortgavia*, sed *Boicæ* annumeretur. Oportet autem iam eo tempore *Ingolstadium* non exigui pretij fuisse, cum *Tassiloni* in *Feudum* concessum fuerit.

Nec obstat nomen *Villa*, quia vocabulum hoc, more *Francico*, etiam hodie, non tantum solitarias colonorum ædes, quas *Germani* *Hofas* vocant, sed & integros pagos, oppida & ciuitates significat. Et hoc itidem æuo lingua *Gallica* *Lutetiam*, *Villam* appellat: est autem *Lutetia* *Villa* profectò satis ampla & spatiosa.

Quæres, cui datum sit *Ingolstadium*, si non *Ludouico*? Id *Carolus Magnus* in suo Testamento nobis dat explicatum. Ita enim infit *Imperator*. *Partem Baiariæ, quæ dicitur Nortgauu, dilecto filio nostro Carolo concessimus.* Cum ergo *Ingolstadium* eo tempore *Norico* accenseretur, non *Ludouico*, sed *Carolo* in diuisione cessit.

*Ingolstadij* quoq; crebra mentio fit in *Diplomatibus* *Ludouici Pij*, *Caroli Magni*, filij, vt & aliorum, *Regum* ac *Imperatorum Francicorum*, quibus varia *Priuilegia* *Monasterio S. Mauricij inferioris Altaicæ* conceduntur, vt proinde ex his antiquitas *Ingolstadij* satis elucescat; nam *Carolus Magnus* creatus est *Imperator* anno *Domini DCCC.* Ex quo tempore alteri



santi anni cum aliquo additamento fluxerunt. Et tamen iam ante Carolum Magnum Ingolstadium stabat, & ut coniectura est, florebat. Hæc de Ingolstadio breuiter dicta sunt. **TO**

Aureatū non esse persuasum habeo, uti nec Eychstadium; quia nec in Hodoeporico S. Willibaldi, nec in historia S. Wunibaldi, nec in S. Bonifacii vita scripta tam ea, quæ scripta est ab Ochlono, quàm ea, quæ est à S. Willibaldo, Eychstadium, aliter, quàm Eychstadium nominatur, nec Aureati nomen vsquam apparet, & tamen probabile est scriptores istos priuæ origini Eystadianæ synchronos, Aureati nomen haud silentio suo suppressuros fuisse. Maneat ergo hoc nomen & nominis gloria Nassenfelsio. **TS**

### CAPVT SECVNDVM.

*Aureatum seu Nassenfelsium fuisse stationem Romanorum.*

**I**QVET hoc primò ex antiquis inscriptionibus Romanis, quæ Nassenfelsij detectæ. Duas vel tres antea protulimus. Nunc & istas duas accipe ex Auentino. Ex quo eas edidit Appianus, ex utroque Gruterus.

Inscriptio lapidis est ista.

IN HO. D. D. MARTI VICTORI  
LILLI F. V. S. L. M.

Quam ita interpretatur Auentinus. *In honore Deorum Dearum (vel, dedicatum) Marti Victori Lilius filius viuus sibi legit Monumentum.*

Inscriptio alterius lapidis sic habet.

I. O. M. DIIS DEABVSQVE PVB.  
CONSTITVTIANVS.

hoc



Porro Lutprahoff, cuius simul cum Ingolstadio  
in Caroli Magni Testamento mentio fit, est Superioris  
seu Boici Palatinatus locus ille, quem hodie Laith,  
tex Soffen appellant. At uero nec Ingolstadio  
nec Eystadio Aureati nomen competere, plane  
recusatum habeo; quia nec in Hodoeporico S. Willi,  
baldi, nec in Historia S. Wunibaldi, nec in S. Bonifacii  
ita, tam ea, quae scripta est ab Othlono, quam ea  
quae est à S. Willibaldo, Eychstadium aliter, quam  
Eychstadium nominatur; nec Aureati nomen  
aspiciam apparet; & tamen probabile est, scriptores  
istos primaeuæ originis Eystadiana synchronos Aureati  
nomen haud silentio suo suppressuros fuisse. Marcant  
ergo hoc nomen & nominis gloria Kasenselsio  
Fuit olim ab Henrico Comite Palatino Rheni  
& Ducce Bauaria Ingolstadium oppugnatum  
Comitibus à Spanheim, ut patet ex Diplomate Henrici  
scripto Anno Redemptoris M C X C VII, quod apud  
Originum Palatinarum scriptorem inuenies: Villas quasdam  
Ingelstad, & Hedereshem etc. impignorauimus. Fit  
etiam mentio Ingolstadij in Diplomate Ludouici Boicolum

Regis



Regis apud Hardium & Geroldum in Metropoli Salisbur-  
gensi, ubi de monasterio Altaes, seu Altars agitur.  
Rex enim Ludovicus ~~Gottwald~~ Gottwaldo Abbati  
Nideralteicheni quasdam res proprietatis suae, quae sunt  
in villa, quae uocatur Ingolstat, et quas praefatus uir ha-  
ctenus in beneficium habuit, ei deinceps ad proprium per  
regiae largitionis munificentiam concedit. quae postea  
speciatim in Diplomate enumerantur; ex quarum  
numero sunt Ecclesiae duae, curtis Dominicata, uel  
gariter dicitur Leuxer Hoff, cum aedificijs desuper ja-  
sitis, cum pertinentijs, agris & pratis, et cum XXII  
Huobis ad curtim seu praedium illud pertinentibus.  
Vide loco cit. ipsum Diploma, quod Hardius refert  
ad annum Saluatoris 843.

In quodam manuscripto codice reperi Eane  
epistolam de Pecimis ~~sub~~ agri Ingolstadiensis  
S. Mauricio pendendis.

Venerabilis




Venerabili in Christo Patri & Pro. P. Ab.  
bati Monasterij monachorum, Altmannus O.S.B.  
gratia Abbas in Inferiori Altra, Ordinis S. Bene-  
dicti, Patauiensis Diocesis: Complacendum  
orationibus uoluntatem.

ii. p. 111. 1784

Omnes & singula decima Ecclesie Parochialis in  
Ingolstat, cuius ius patronatus nobis competit, indiffe-  
ter, & sine exceptione qualibet, ad nos pertinent,  
& sunt nostra; sicut uideri et probari potest in - &  
in privilegiorum nostrorum continentia, & tenore.  
Verum quia quasdam decimas indiuisas de quadam ~~curia~~ ~~curte~~  
ibidem, nos accepisse percepimus, nobis iniuriam non  
inducam fieri recensemus. Ea propter uestra plu-  
rimum reuerentia supplicamus, quatenus aut dictas  
nostras decimas non amplius occupetis; aut quo iure  
accepistis doceatis. Alioquin nos oportet consilium  
iuris super his requirere, & quamuis illibenter contra  
uos iustitia mediante procedere. Datum in Inferiori  
Altra Anno Domini M. XCVI. in crastino Iuue  
Virginis.





h  
/h  
d  
ra  
n  
ta  
A  
fo  
&  
f  
n  
k  
i  
u  
v  
f  
i  
e  
m  
fo  
de  
ua  
re  
m  
at  
fra  
fo  
m  
li



hoc est, Ioui Optimo Maximo Diis Deabusq; Publius Constitutianus.

II. Quia idem Auentinus testatur sibi à Reuerendissimo Gabriele ab Eyb, Episcopo Eystettensi, narratum esse; quotidie adhuc Nassofelsij erui præter numismata, calcaria, fictilia Samia, & huiusmodi instrumenta, quæ mihi Gabriel Pontifex Eystettensis ostendit, inquit Auentinus: & hodie etiam fama est ab agricolis Nassofelsiis, dum arant, prisca numismata, arma Ethnica, & hastas fractas reperiri; quæ omnia sunt argumenta Stationis Romanæ contra incursum Germanorum. Quò Auentinus valli, quod Romani cohibendis Germanis obiecerunt, principium ducit à Nassenfelsio, & per Köschingam Neostadium vsque traducit, vbi ius finem ponit; quod vallum ingenti fossa cingebatur, immissa palude, cuius fossæ vestigia adhuc circa Nassofelsium apparent; & imperita multitudo credit, esse veterem Danubij aluam, illac enim fluxisse Danubium. Quod paulò verisimilius est, quam si quis diceret, Rhenum illac iter habuisse. Ipsius etiam Valli Germanis obiecti satis luculenta indicia non tantum Nassofelsij, sed & alibi visuntur, & vulgus appellat, auff dem Wat.

III. Quia circumcirca fuere Romanorum statua, vbi adhuc hac ætate effodiuntur numismata aurea, argentea, ærea, varia supellex, instrumenta domus, saxa Romanis literis inscripta. Quamuis lapidum atque huiusmodi monumentorum maxima pars partim confecta, & in calcem soluta, coctaque sit, partim obstructa, infossa, tectorioque oblita, & literis inuersis intrinsecus ad humum, parietemue, legi non possit; in quibusdam iniuria cæli imbriumque elisa sunt litera. Quæ Auentini verba ad Nassof.

le  
so finem ponit.



Nassofelsium quoque propriè pertinent: eandem enim aleam subiit. Enumerat postea Auentinus speciatim inscriptiones quas temporis longinquitas ad Danubij oram reliquas fecit. Quas quilibet apud ipsum legere poterit.

Illam tamen supra Ingolstadium ad Schutarum in pago Dinzelavv prostantem, prætermittere nequeo. Et est talis:

MERCVRIO TEMPLVM EX VOTO  
SVSCEPTO CL. AVGVSTANVS

L L M.

hoc est, interprete Auentino, *Claudius Augustanus legi locum monumenti.*

Illud sæpius miratus fui Ingolstadij nihil penitus huiusmodi monumentorum effodi, aut erui; & in tanta vicinia, effodi aut erui. Nam *Keßchinga* seu *Caserea* vno duntaxat milliari hinc distat; vbi in hunc vsque diem aurei, argentei, ærei nummi siue ab aratoribus in agris, siue à fossoribus in ipso oppido inueniuntur, quorum plurimos vidi. Exstant ibidem tres lapides antiquis inscriptionibus decorati, quos, si lubet, apud Auentinum spectabis. Nihil simile Ingolstadij, quamuis & agrum latissimum possideat, & intra mania singulis fermè annis altissima fundamenta pro variis ædificiis iaciantur.

IV. Accedit, quòd Nassofelsij etiam quædam simulacra videntur, Ethnica, vt vulgaris persuasio est, v. g. non procul à Templo, imago feminae conspicitur, terræ infixæ, ad cuius pedes cubare fertur canis, nam infra terram est, si est; non supra, inde Dianam esse coniectant.

Juxta inferiorem portam visitur in saxo mulier  
boui



boui insidens. Quæ sine dubio est Europa à Ioue sub  
 schemate tauri raptâ. Alij in his nihil antiquitatis  
 agnoscunt, sed recentioris aui plasmata esse censent,  
 & tales effigies, quales olim, etiam in quorundam  
 Christianorum templorum vestibulis saxeis sculpe-  
 bantur, prout hodieque multis locis videre licet. Cæ-  
 terum, ut *velle*, ita & *sentire* suum cuique est, & ut non  
 vno voto, sic nec vno sensu vivitur.

V. Turris, quæ in Arce est, non planè incassum  
 creditur à Romanis exstructa: solebant enim se & sua  
 munitissimis & solidissimis turribus munire, vnde &  
 in hostes eruptiones facerent, & quò se, tutelæ gratia,  
 reciperent. Talis certè turris est hæc Nassofelsica, in  
 medio schutari alueo, saxo imposita; quæ, si bombar-  
 dæ, novitium inventum, absint, ut tempore Roma-  
 norum aberant, assultus hostium facile elidet.

Eiusdem generis arbitror turrim illam altissimam  
 & densissimis muris constantem; quæ est in pago seu  
*Hoffmarchia Kaltenberg*, infra *Landspergam*, in latere  
*Boico*; nam & hanc oram ad *Lycum amnem* defen-  
 debant olim Romani aduersus Germanos, cui rei e-  
 tiam hoc argumentum do, quia ante paucos annos,  
 alio in pago, non procul inde distito, cum colonus  
 vomere terram profcinderet, eruit ollam plenam ar-  
 genteis, iisque non paucis nummis, adiunctis nonnul-  
 lis æreis, qui excocti ita splendent, quasi iam primùm  
 ex monetaria officina prodissent, quos non sine ad-  
 miratione vidi; nec tantum Augustorum sunt, ut Tra-  
 iani, Titi, Antonini Pij, Seueri, Septimij Getæ, Ale-  
 xandri, sed & Augustarum, ut Iuliæ Mammææ, Iuliæ  
 Mœsæ, Iuliæ Paulæ, Plautillæ, Faustinae, Iuliæ Aquiliae  
 Seueræ, Iuliæ Soëmiadis, & similium.

BB

Potro

EX




Porro ex sacris quoque literis manifestum euadit, multis turres pro praesidio, aeylo, & propugnaculo fuisse, ut videre licet Iudicum cap. 8. & 9. & lib. 1. Machab. cap. 5. 6. 13. 16. & lib. 2. cap. 10. TO

VI. Denique in Pago Oebel, qui trans Scutarum, exiguo spatio à Nassenfelfio distat, aiunt nonnulli existare itidem veteres inscriptiones, quas ego non vidi. Templum Pagi *Meggelau*, qui est inter Nassenfelfium & Weissenkirchen, pro ethnica structura vulgus habet. Et certè forma ab ita communi Christianis Templis vilitata forma. Secus est de Templo S. Laurentij Weissenkirchensis, in eo enim edificio nihil antiquitatis elucet.

### CAPVT TERTIVM.

#### *Quanta ciuitas fuerit Auneatum.*

VITATEM fuisse, facile concesserim; ut & hoc, euerfam cum aliis multis ab Hunnis, aliisque Romanorum hostibus; ut legere est apud Auentinum lib. 3. Annalium Boicorum, indeque quasi ex sparsis cineribus enatum hoc oppidum, quod hodie cernimus: Testatur id etiam rudera, quae proxima sylua spectatum exhibet, & in ipso oppido, ferunt superesse subterraneos specus ac forniceſ.

Fuisse verò tantam ciuitatem, quantam vulgus praedicat, maximam videlicet, amplissimam, & ferme ad Weissenkirchium vsq; extensam, haud adducar, ut credam.

I. Quia si tanta fuisset, plura eius passim eruderentur rudera, plures parietinae sese conspiciendas praebent, plura monumenta colonus vomere, vel fossor ligone deregeret; plura itidem spòte sua emergerent,

TO  
 Primum quodq; et commoat  
 in turribus conditi et asservati  
 confusissimis planis facit illud  
 psalmi 124. *factus sum in vir  
 tute tua, et abundantia in  
 furnibus tuis.*



gerent, quasi ab ipso ævo protrusa. Quis enim nescit spaciosissimas ciuitates, non posse ita aboleri, quin relinquuntur frequentia indicia, vt videre licet in aliis euersis ciuitatibus: nam Augusta Rauracorum seu Rauricorum, non procul ab hodierna Basilea, magna erat ciuitas, sed postea funditus deleta, & in exiguum pagum, cui *Augst* nomen, conuersa. Et tamen quid ruderum, quid fornicum, quid ædificiorum sub terra dirutorum & semidirutorum non comparet? Quid in super agricolæ & fossores quotidie non inueniunt? Consule Rhenanum lib. 3. rerum Germanicarum. Aliquid simile hîc fieri debebat, si Aureatum tanta ciuitas fuit. At in tota via, qua Nassenfelsio Weissenkirchium itur, quæ facies, quæ species euersæ quondam vrbis? Nec, vt audio, qui agros illos colunt, valde conqueruntur, nimis crebro ad rudera allisu & attritu, vomeres suos obtundi atque hebetari.

Accedit, quod ipse situs loci tantam Aureati amplitudinem, dissuadere videatur, vnde enim in hoc solo tot incolæ vitam tolerassent? An ex agricultura? At qui nam agri tantæ multitudini suffecissent? An ex militia? At fieri nequit, vt omnes militent. An ex mercatura? At nec omnes mercatores esse possunt; nec video quàm locus ille tantæ mercaturæ factitandæ idoneus fuerit; hostibus ex propinquo perpetim insidias tendentibus. An ex opificiis? Sed & hoc difficile creditu est.

Adde ad extremum, minores ciuitates longè esse aptiores pro præsidii & propugnaculis, quàm vastissimas & amplissimas vrbes: cum igitur Romanis *Aureatum* pro præsidio & propugnaculo fuerit, longè procliuus est credere, in mediocribus potius quàm in maximis ciuitatibus numerari debere.



## CAPVT QVARTVM.

*Quid Henricus Pantaleon, & Franciscus  
Irenicus Nouatores de Aureato  
scripserint.*

**A**NTALEON in opere Germanico, quod in-  
scripsit, *das Heldenbuch* hoc est, *librū Heroum*,  
valde suauiter de Aureato delirat. Ait, Willi-  
baldum vel Sviggerum Comitem Hirsbergensem,  
excidisse quercetum iuxta Arcem Nassofelsiam, & ibi adifi-  
casse Monasteriolum Aureatum dictum. Quis verò veter-  
rum huius rei Auctor? nam vt tibi tam nouo Nouato-  
ri fidem habeamus, sine veterum testimoniis, id nun-  
quam à nobis impetrabis. Nullus ex antiquis vnquā  
scripsit, S. Willibaldum consedisse Nassofelsij, condi-  
to ibidem cœnobio, priusquam ad Almonem seu Al-  
timylam fluium migraret, ibique Monasterium ex-  
strueret: multò minus à quoquam proditum est, Mo-  
nasteriolo iuxta Nassofelsiam Arcem exstructo, Au-  
reati nomē inditum fuisse, quia ipsum Nassofelsium,  
etiam longè ante S. Willibaldi tempora, *Aureatum* ap-  
pellabatur. Videtur Pantaleon existimasse, Arcem,  
Nassofelsiam eodem loco esse, quo est Eichstadium;  
sed fallitur; cum aliquot horis inde distet. A beat ergo  
eò, vnde venit, hoc Monasteriolum, non Nassofelsij,  
sed in cerebro Pantaleonis edificatū. Qui addit Wil-  
libaldum, *querceto probè exciso, extruxisse ibi Monaste-  
rium Benedictinorum, nomine Altmül* pulchrè profectò.  
*Altmül* seu Almonius fluius est, qui Monasterium  
illud præterlabebatur, quemadmodum etiam hodie  
præterlabitur Eychstadium. Fluminis nomen impe-  
ritè imponit Monasterio; & perinde facit ac si diceret:  
*Domus Petri iuxta Constantiam est Monasterium ad Rhenū,*  
ergo



ergo vocatur Rhenus. Inferior Altaicha in Bauaria est Monasterium ad Danubium; ergo vocatur Danubius. Monasterium Benedictinum à S. Willibaldo exstructum, non aliud, quam Eychstadij nomen habuit, à primo statim ortu suo; & inde ad ciuitatem ex Monasterio prognatam transit.

Posthęc, inquit Pantaleon, *ibidem condita est ciuitas, à succisis quercubus Eychstat nominata.* Posterior fuit ciuitas Monasterio; & per consequens, posterius quoque nomen Eychstadij, ciuitati impositum est. Laudo tamen Pantaleonem, quod suo in *Heroum libro* etiam Episcopis Eychstettensibus locum concesserit; & quidem ea benignitate, vt licet eorum Indicem contexuisset, deinde tamen separatim de quibusdam scriberet, vt de Vdalfrido IX. Episcopo, de Reginoldo, de Heriberto, de Gebhardo, postea Pontifice Maximo, de Gundackaro, de Ioanne 38. Præsule, de Friderico IV. deniq; de Wilhelmo à Reichenau. Istis omnibus peculiaris sedes & statio inter Heroas tribuitur. Non culpo, laudo magis. Illud quærere lubet, ex Pantaleone, an in tota serie Episcoporum Eystettensium vsq; ad Illustrissimum Martinum à Schaumberg (eò enim Catalogum perduxit) aliquem Lutheranum Prædicantem aut Zvinglianum Ministrum inuenerit, aut qui eius fidei fuerit, quæ à Luthero, Zvinglio & Caluino tradita est?

Franciscus Irenicus lib. XI. Exegeseos Germaniæ ita scribit: *Aureatenses Bauari sunt incola regionis iuxta Eichstadium, ubi Reliquia S. VValpurgis sunt. Sic Celtes lib. 2. Odarum.*

*Aureatensis decus omne terra  
Virgo, qua pulchra rigat arua valle*

BB 3

Almo.



*Almonus, cunctos superans sapore  
Flumine pisces.*

Istis ergo Aureatensis terra est tota dicio circa Eystadium. Sed unde *Aureatensis* vox & appellatio? utique ab *Aureato*. At ubi hoc *Aureatum*? Id isti non explicant. Nec est insolitum, ut à loco aliquo toti territorionomen veniat. Quid mirum ergo, si & ab *Aureato* totus ille Tractus, qui vsque ad *Almonium* flumen, *Eystadium* versus protenditur, *Aureatensis* appellatus sit.

Pergit *Irenicus*. *Aeneas Sylvius* in *Epistola de laude Germanorum*, vocat *Eychstadium Dryopolim*, ἀπὸ τῆς δρυὸς, καὶ πόλεως, à *quercu & ciuitate*. Idem ab aliis quoque factum scio, nec admodum inscitè, cæterùm vsitata nomina retinere semper melius est; nam quid, & ubi sit *Eychstadium*, norunt pariter docti & indocti *Aureatensis* terræ indigenæ, At si scisciteris, ubi sit *Dryopolis*, non tantùm illicerati, sed & multi ex literatis sibi nihil de hac ciuitate constare, palam profitebuntur.

Alij, inquit *Irenicus*, *Eichstadium* quasi *Edstadium* à solitudine dixerunt, & à *S. Willibaldo* in deserto degente, principium duxisse. Hoc posterius verum est; nam *Eichstadium* debet suam originem *S. Willibaldo*. Illud de *Edstadio*, quasi à solitudine deducto, commentis annuero, quia veteres à succis quercubus nomen impositum constanter tradunt.

Illic, nempe *Eychstadij*, inquit *Irenicus*, omni miraculo *B. Valpurgis* clarior coruscat, è cuius sepulchro oleum destillat. Hoc elogium eò pluris pendendum est, quia venit à Prædicante; Fuit enim *Irenicus* quinti verbi tubicen. Quare quod *B. Walpurgam* laudat, quodq; miraculum olei agnoscit, in eo genium *Prædicantium* supe-



superavit, qui in celebrandis sanctis Virginibus valde parcus & restrictus esse solet.

## CAPVT QVINTVM.

*De Aureatensibus Episcopis.*

**E**YCHSTADIANI Antistites crebrò etiam *Aureatenses* appellantur; vel quia à multis creditum est Aichstadium esse vetus *Aureatum*; vel quia totus ille tractus, qui est à Nassenfelsio, veteri *Aureato*, *Aureatensis*, à primaria vrbe olim nuncupabatur. Quo in Tractu cum Episcopi Eystettenses domicilium habeant, & resideant, iure etiam *Aureatenses* audiunt: Quod Conrado Celtæ & Irenico placuisse videtur.

Nec est quod quis dicat; Aureati fuisse Episcopos ante euerfionem vrbis, & multis annis ante S. Bonifacij & S. Willibaldi in eas oras aduentum; nam hoc iam alibi reiecimus, nec vllò vel in speciem verissimi argumento demonstrari potest. vt nec illud Pantaleonis plasma, ad Arcem Nassenfelsiam à S. Willibaldo Monasteriolum, cui nomen *Aureato*, exstructum fuisse, & inde Episcopis *Aureatensis* appellationem fluxisse.

Illud tamen exploratum est, vicinum Neoburgum ad Danubium suos Episcopos habuisse, vsque ad annum Redemptoris DCC. LXXII. quo *Manno* Ecclesiæ Neuburgensi præerat; & in Concilio Dingolfingensi primas inter omnes præsules tenebat. Hic tamen Episcopatus postea desit; nam post *Mannonem* nulla vllius Neoburgensis Episcopi mentio exstat, & Diœcesis magna pars Augustanæ Vindelicæ coniun-

coniun-



coniuncta & inserta est, vt ait Marcus Velferus lib. 5. rerum Boicarum. Rectè dicit: *Magna pars*, nam quæ ex nostra parte Danubij, sita sunt, Eychstadiano Episcopatu cessisse videntur, quæ diuisio etiam nunc durat; nam ipsum Neoburgum, & quæ nobis trans Danubium sunt, ad Augustanum Episcopatum spectant, Reliqua ad Eychstadianum, nisi quod iuxta Ingolstadium pagus, trans Danubium, cui à Salvatore nomen est, cum aliquot adiunctis, sub Diocesi Eystettensi censetur.

Meminit quoq; Episcopatus Neoburgici Auentinus lib. 2. Annalium Boicorum, & lib. 3. vbi huius Ecclesiæ Episcopum nominat *Beichterbum*. Causam dissoluendo Episcopatu Neoburgico dedisse videtur nouus iamq; emergens Episcopatus Eystettensis, nam quo tempore Manno Dingelfingensi Synodo intererat, iam S. Willibaldus aliquot annis nouam cathedram Eystettensem, Neoburgicæ vicinissimam, rexerat. Haftenus de Aurato.



LECTIO

Index